



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

IV. De Patrinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

tur, gravior est quàm dilatio aliquot
cæremoniarum, quæ natura sua & in-
stitutione baptismum sequuntur: &
ideo occurrente causa judicari possit
istud licitum. Hoc tamẽ faciliẽ in pra-
xim deduci etiam non probarim, quia
Ecclesiæ consuetudo non admittit
discontinuationem cæremoniarum,
nisi gravibus de causis.

Casus. Si puer occurrat baptisandus
in die Veneris Sancto, cum sacrum
Chrismanovum non recipiant plerum-
que Pastores à Metropoli distantes,
ante Festa Paschalia; possunt interim
baptisare adhibitis exorcismis, & aliis
cæremoniis baptismum præcedenti-
bus; Chrismationem verò & subse-
quentes cæremonias possunt differre
quia præceptum est, non uti chrisma-
te anni præcedentis, nisi in necessita-
te. Similiter dic de Oleo Cathecumẽ-
norum.

CAPVT IV.

De Patrinis.

I. **Q**VAERO. *Quinam excluduntur ab
hoc munere? Resp. I. excludi eo*

qui non est baptisatus, & si de facto suscipiat, non contrahit affinitatem spirituales. 2. Resp. excludi Abbatem vel Monachum *cap. Non licet de consecr. d. 4.* Si tamen de facto suscipiant, contrahunt affinitatem. Miror verò, cum tã claro jure id eis prohibeatur, quod passim contrarium practicent Abbates vel Monachi, nisi quod putent consuetudine jus istud enervatum. Sed apud pios & eruditos Religiosos hæc consuetudo non viget, ideoque potius corruptela dicenda est. Et cum Cypriano hic dicimus: *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est; propter quod relicto errore, sequamur veritatem* Resp. 3. Rectè etiam quibusdam in locis decerni, vel saltè moneri Sacerdotes, maxime Pastores per Statuta Synodalia, ut Patrinorum officium non suscipiant. Ita decernit quædam Constitutio in *Diecepsi Auxensi, tit. de Bapt. c. 5.* ubi statuitur ut sine Episcopali licentia id non fiat. Idem ordinat *Synodus Mediolan. 2. Decret. 17.* Id ipsum cõtinetur in *Decretis cultus pro Leod. Dicepsi, per Ill. Anton. Alber-*

Albergatum Nuncium Apostolicum f. 23.
 Ratio horum decretorum est : quia eadem causa quę militat in Religiosis, ob quam arcentur ab hoc munere per Canones, etiam locum habet in sacerdotibus maximè Pastoribus, ut expendit *Synodus Mediol.* citata, & insinuat *Catech. Rom.* agens de Patrinis: cum enim, inquit, Pastores publicę Parochiarum curationi præpositi sint, sufficere illis debet hoc onus, nec opus est quod Patrinorum particulari onerise immisceant: nã & generaliter Patres sunt omnium, & maxime eorum quos baptisant. Addo, quod ex more cõmuni Patrini videantur sortiri etiã aliquas obligationes temporales, tum erga eos quos suscipiunt, tum erga cõpatres & commatres; ita ut inde frequentes importunitates parum eorum statui congruę Pastoribus advehantur. Deniq; id jure statuitur, ut omnis suspicio tollatur, & omnis occasio cõversationis cū mulieribus; oriri enim solet quædam familiaritas ex cõpatermitate, quæ nonnunquam in fo-

mum

num caliginosum libidinis potest exardescere, aut certè suspicionem aliis movere. Hinc populari proverbio solet dicere: *De compere & commere les noms sont toutes entrees de maisons.* Quare cum Canon prohibet id Religiosis, sic dicit: *Non licet Abbati, vel Monacho habere compatres vel commatres, nec osculari feminas.* Ubi insinuat ex compaternitate oriri quandoque libertatis etiam carnalis occasionem.

Adverte porrò Sacerdotem qui baptizat, contrahere etiam affinitatem cum patre & matre, & cum baptisato. Quapropter, notet hic Parochi, quod si inciderent in tactum libidinosum vel cogitationem voluntariam, aut delectationem morosam, circa puellam à se baptisatam, vel circa foeminae cuius aliquam prolem baptisarent; non sufficere in Confessione explicare, quod attigerint vel consenserint in puellam aliquam, vel in mulierem conjugatam, aut viduam; sed etiam addendum est, talem esse à se baptisatam, vel aliquam prolem illius

mulieris se baptisasse. Cum enim sit hic affinitas spiritualis, talis actus vel confessus ad incestum reducitur. Et hunc quidem casum puto non infrequentem, ubi Pastores lubrici degunt, quia facile est cogitatione labi: hanc tamen circumstantiam vix existimo in Confessionem venire ex ignorantia. Sed non est excusabilis in Parocho, quia tenetur hæc scire.

2. *QUAERO. Quã ætatẽ debeant habere qui suscipiunt?* Resp. si puer sit doli capax, & habeat sufficiens iudicium ad peccandum mort. potest suscipere & contrahit cognitionẽ: sufficit n. quod aliquo modo præcipere possit quid agat, & quẽnã hic obligatio imponatur. Quod si infra ætatem octo vel septem annorum admittatur puer ad suscipiendum, non contrahit cognitionẽ. Sed ordinariẽ non debent admitti nisi qui eam ætatem superant, puta circa duodecimum annum aut undecimum, cum solent pueri communicare: quia tunc censentur capaces ad obligationem illam plenius intelligendam, si

instruantur. Imò in aliquib. Diœcesibus requirunt pubertatem, hoc est, annos duodecim in puellis, quatuordecim in masculis: & absurdum ducunt eos fieri Patres spirituales, qui per ætatem non possunt esse carnales.

Neque tamèn magno scrupulo ducendum puto, si quandoque contingat admitti etiam inferiores septennio (sic aliquando sollicitantur Nobiles; ut permittant filios suos necdum septennes nomen dare, & levare de Fonte) nam tunc admittuntur propriè ut Patrini; nec ut contrahant affinitatem, sed potius honoris Parentibus debiti gratia assistunt: sufficit autem juxta *Concil. Trident.* quod unus vel una suscipiat. Sic satis erit, quod unus adultus susceptor sit, licet adjungatur ex altera parte puellula necdum ætatis sufficientis aut contrà, quod mulier aliqua matrina adhibeatur, licet ex altera parte puer septennio inferior assistat. Cavendum tamen ne hæc nimis facilè in praxim deducantur, consuetum Ecclesiæ morem temerando.

X

3: QUÆST

3 *QUAERO. An maritus & uxor, eundem de sacro fonte levare possint? R. hoc non esse prohibitum; & certum est inter susceptorem & susceptricem nullam oriri cognationem aut impedimentum matrimonii. Unde anile commentum est quarundam vetularum, necesse esse dum juvenculus & juvencula eundem suscipiunt, & obstetrix inter utrumque se interponat, alioquin inter ipsos oriri impedimentum ad matrimonium. Advigilent Pastores, ne obstetrices, aliqua antiquae adhuc redolent hanc superstitionem: nam videlicet ubi praticari, sed acri reprehensione remedium attuli. Examinentur etiam num circa puerperam pro facili partu superstitionem aliquam adhibeant, vel observationem vanam, est enim anile ingenium in hac satis proclive, & valde tenax, Examinans quaedam ea de re, dixit se invocare Christum & B. Virginis opem, & versum illum pro affectu recitare: *Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis: seque didicisse hoc habere vim, ne partus mulieris**

mulieris aliquo maleficio impediatur. Cum autem nullam vanam circumstantiam huic orationi ab ea annexam potuerim deprehendere, non putavi ad reprobandum, quia absque dubio pius affectus ad incarnationem & Nativitatem Filii Dei, & ad Virginem parientem, plurimum prodesse potest, sive contra maleficio, sive ad faciliorem partum impetrandum. Sed quia cautus est Dæmon, & per mulieres piis etiam actibus circumstantiam aliquam erroneam solet immiscere, sicque de pietate superstitionem efficere, ideo debent suspecta etiam nobis esse quæ pia apparent, donec examine serio tamquam lidio lapide probentur, & aurum verum ab adulterino discernatur. Sic superstitiosè solent diem observare, quo post puerperium ad templum redeunt: nam diebus Lunæ, Mercurii, Veneris, non solent accedere, nescio quâ observantiâ & vanitate, de qua realiquando in Catechismo agere non supervacaneū erit, quærendo. An dies Sanguine Jesu

Christi consecratus & redemptionis nostræ cōsummatione ob signatus, dies scilicet Veneris, in idoneus cenferi debeat ; in quo Mater puerum Deo offerat sanctificandum & benedicendū, ac seipsam quoque? An non & universim omnes dies à Deo creati sunt & benedicti, dum ea quæ in eis fecit, dixit valdè bona? sicque diem aliquem ex se infaustum recensere, numquid Creatori illius est injuriam facere? His interrogationibus & earum elucidatione, è multarum mulierum mente eam suspicionem eliminavi.

Examinet etiam Parochus obstetricēs, circa aliquas superstitiones ab eis adhiberi solitas tertio die à baptismo, dum puero albulam auferunt & abluunt (hoc vernaculè vocant, *des-~~au~~bler*) utuntur enim aliquibus cæremoniis, quæ paganismū sapiunt aut superstitionem: ovum ei in manus tradendo panem, salem, partem pecuniæ & similia, omnem ei prosperitatem & copiam rerum cum solemnitate quotundam verborum apprecantes.

4. *QUAERO. An quis possit plures proles parentum eorundem suscipere?* Resp. id nullo jure prohiberi. Similiter quicumque de parentela etiam in gradu ascendente potest suscipere, excepto Patre & Matre. Sic avus vel avia, neptem vel nepotem potest suscipere, licet in usu non sit. Adverte etiam cum maritus est Patrinus alicujus, non propterea uxorem contrahere cognationem; nec e contra, cum uxor est susceptrix, non ideo Vir ejus contrahit cognationem, aut proprie est Patrinus; quamvis populari usu baptisati, utrosque conjuges (licet alter tantum susceperit) soleant Patrini aut Matrines nomine honorare.

5. *QUAERO. Quando quis designatur ut nomine alterius puerum suscipiat, quis contrahit affinitatem, an is qui vice sui aliquem designat, an is qui loco alterius est susceptor?* Resp. quod procuratorio nomine tenens non contrahit, sed mandans. Ita habet probabilior sententia, & fertur esse de ea declaratio aliqua Congregationis Card. Interpretum Concilii Trident.

6. *QUAERO.* *An diu differri possit baptis-
mus infantium?* Resp Parentes & Pa-
stores debere curare, ut parvuli matu-
rè baptisentur, ob tenellam ætatem
periculis multis obnoxiam. Quando
tamen censenda sit dilatio nimia pru-
denti iudicio est expendendum. Post
aliquot dies si differant parentes, tunc
sunt monendi, ut diligentem curam
suscipiant tam die quàm nocte; debet-
que Pastor se exonerare, si quid ei con-
tingeret. Non tamen existimarim pec-
catum mortale, si diligentem omnino
curam adhibeant, & ad octo vel sep-
tem dies differant. Hoc quidem dix-
rim secundum jus commune, quia
præceptum Ecclesiasticum hac de re
in iure non reperitur, ut possit deter-
minari, quæ dilatio peccatum morta-
le involvat. In diversis autem Episco-
patibus Constitutiones possunt esse
magis vel minus rigorosæ, & hæc se-
quendæ sunt.

In Parochiali Leodiensi sic habe-
mus *Viderint Pastores ne Nobiles, aut
cujuscumque sortis subditi, quovis ex-*

cluso pretextu vel colore, prolium suorum baptismum ultra diei unius naturalis spatium differant, nisi obtenta ob causas sufficientes ab Ordinario licentia, de qua apud Pastorem fidem debeant facere competentem. Hoc autem intelligo pro Parochis non longe distantibus à residentia Ordinarii; nam in locis distantibus, Parochus prudenti suo iudicio ob causam videtur posse indulgere unū aut alterum diem, supposito quod cura diligens habeatur circa puerum.

7. *QUAERO.* An plura nomina rectè imponantur in baptismo? Resp. licet id prohibitum non reperiatur, magis tamen congruere ut unum imponatur; ut sicut unus Angelus inter beatos Spiritus nobis deputatur à Deo ad custodiam è nativitate & baptismo: ita inter beatas animas, una eligatur ad specialem protectionem, directionem, cultum, imitationem, intercessionem apud Deum. Et hæc certè multiplicitas nominum à vanitate aliqua inter Magnates ortum habuisse videtur,

zur, ut sic à plebæis distinguerentur; nunc autem passim etiam plebæi volunt imitari, sub titulis aliquibus devotionis erga Sanctos; quæ quidem devotio & zelus fortè non est secundum scientiam, saltem non est secundum communem Ecclesiæ morem antiquum. Moneant etiam Parochi Parentes, ne nomina in baptismo posita patiantur corrumpi, & alterari à domesticis aut popularibus, ob quod frequenter contingit nomina Sanctorum fieri ridicula. Similiter Ethnica & profana nomina non facile admittat Parochus.

8. *Quæro. An possit Parochus admittere duos Patrinos, quando nulla adhiberetur Matrina, vel contra duas Matrinas, quando nullus adhiberetur Patrinus?* Resp. non posse, quia Conc. Trid. expressè dicit, ut tantum admittatur unus vel una, vel ad summum unus & una: ergo nec duo viri, nec duæ feminae admitti possunt, quia cum hic sit jus positivum, specialiter expressum, in rigore verbis Concilii standum est. Sic etiam declaravit Sacra Congrega-

io Interpretum Concilii, addens Episcopum non posse concedere licentiã, ut duo viri loco viri & mulieris aliquem baptizatum suscipiant.

Corrigendum ergo hic *Parochiale Leodiense fol. 6.* agens de Patrinis, ubi insinuat duos susceptores, ubi nulla susceprix, vel duas susceptrices, ubi nullus susceptor, posse admitti.

Sed quid si plures de facto sic admisisserint, contrahunt-ne cognationẽ? Respondet Congregatio. Si plures suscipiant, omnes contrahere cognationẽ, si non constat quis primo tetigerit, & plures fuerint electi, & æquẽ principaliter admissi & designati. Si enim unũ tantum designat Parochus, & nihilominus plures tangant, illi non contrahunt, sed is solus qui designatur à Parocho.

CAPUT V.

De obstetricibus, aut baptizantibus in necessitate.

I. **Q**UAERO. *An qua ex officio sunt obstetrices, teneantur scire formam baptismi & modum baptizandi?*

Respondet Suarez, *in rigore non inveniri*

X 5

hac